

Jacob Sebastian Lauremberg Hero Hersenius

## **Disputatio Iuridica De Nonnullis Detractionis Figuris,**

Rostochi[i]: Richelius, 1667

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741214881>**


Druck Freier  Zugang



Formen der  
Belastungsunverteilung

RU jur. 1667.

Jacob Sebastian Laurenberg, Präs. | a  
Herr Kerseniüs Mengersen, Resp.



7<sup>ma</sup> B  
DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
NONNULLIS DE-  
TRACTIONIS FI-  
GURIS,

Quam  
Divinâ Annuente Gratiâ

SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI

DN. JACOBI SEBASTIANI  
LAURENBERGII,

Antecessoris, & Jcti Celeberrimi, PANDECTARUM Pro-  
fessoris Ducalis Ordinarii, Consistorii Provincialis Sereniss. Duc.  
Mechlenburgicorum Assessoris Dignissimi, Gravissimi,  
Domini Patroni, Promotoris, Studiorumq; Directoris atqve  
Præceptoris non nisi filiali observantiâ æviternum  
devotè colendi,

IN ALMA ROSARUM ACADEMIA

*In Auditorio Majori*


*ad diem Novembr.*

*Placidè Eruditorum Disquisitioni*

*publicè sistit*

*Examinandam*

HERO HERSENIUS MENGERSEN,  
BUTIADA FRISO.



ROSTOCHI, Typis JACOBI RICHELII, Senat. Typogr. 1667.

DISPUTATIO MEDICA  
DE  
NONNULLIS DE  
TRACTIONIS EF-  
FECTIBUS  
CURIS  
A  
D. M. JACOBI  
LAURENTII  
IN WIMA BOREALIA FACULTATE  
PUBLICE  
ROSTOCKI

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock



I. N. D. N. J. C.

DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
NONNULLIS DETRACTIO-  
NIS FIGURIS.



C veluti epulo dubio & cere-  
alib9 adhibiti coenis, ubi con-  
cinnantur struices patinariae,  
& gulæ palatiquæ scitamenta  
mensas onerant, ad dubitant,  
quid sumant potissimum; ita  
convivator, ut sic dicam, ma-  
gnificentissimus, Justinianus,  
legales dapes tantâ abundan-  
tiâ præsentat, & exhibet, ut animi pendere incipiat  
earum fruiturus copiâ, quem carpat maximè bolum,  
& quodnam deligat ex tot mille deliciis tractationis  
argumentum, optetq;. Mihi (sicuti arbitrarium  
est cuivis) arrisit materia DETRACTIONIS, cujus  
quasdam in præsens specie stringere & delibare,  
consilium est, & destinatio.

A

THE-

## THESIS I.

**A** pud assiduos Romanosq; scriptores, *Detractionis* vocabulum ut plurimum male notæ est, & significationis, atqve violentiæ crimen aut culpam arguit; Ita *deimbere* est spoliare dignitatem alicujus. Terent: Detrahere de fama alicujus, h. e. traducendo & obtrectando minuere. Nepos & Cicero dixere. Cæterum in jure etiam in bonam partem accipitur; Ut & hic à nobis.

höher +  
güter  
Inhalt

## II.

Describe potest *Detractio* quod sit, vel legibus, aut constitutionibus, aut moribus permiffa de rebus certis delibatio & in certas personas collatio.

Handwritten mark

## III.

Dispersimus eam ratione percipientium, quod fiat vel à privatæ conditionis, vel auctoritate publicâ armatis, splendidibusqve potestate.

## IV.

Quoad illos, maximè frequentatur in hereditatibus *detractio*. Unde conformatur; operam ad amiffim par: ult: Inst. de Just: & Jur: non adeò obscure præscribentis, ut cognitio Juris privati, publici istius studio præludat, primò agemus de hac specie.

## V.

Et enimvero sicuti hereditas non unius generis est aut census, ita nec *detractio* ex ea: Quippe quantum quidem ad propositum nostrū attinet; Ista obvenit vel ex lege, vel ex Testamento: & iterum vel directa vel fidei commissaria est;

est; Directa fit per directis verbis dispositionem novissimam, seu elogium supremum hominis, fatum & ultimam necessitatem suam recogitantis, ut si quid sibi contingat humanitus, certum habeat successorem.

#### VI.

Dixi hereditatem testamento transcribi, atque assignari, & quidem solò. Nam sicuti nulla per contractum. l. 7. C. de pactis convent. l. 4. C. de Inutil: stipulat: Mev: ad jus lub p. 2. t. 1. ad rubr. Ita nec directo quidem ullà alia ultimæ voluntatis figura relinqui potest, quam Testamentò arg: §. 2. Inst. de Codicillis.

#### VII.

Ergo caput & fundamentum testamenti est heredis institutio. §. 34. Inst. de legat: sine qua nec istud valet, nec in eo scripta l. fin. de Jure Concill: l. 1. in fin. de vulg. substitut. l. 3. ff. qua in testamento delentur. §. 2. Inst. de fidei commissi hereditate. Vule. lib. 1. Jurispr. Rom: n. 52. adeò, ut ne quidem à milite omitti possit, §. 1. Inst. de testamento milit: Treutl. vol. 2. disp. 10. th. 4. lit. B. licet possint alia, quæ adjicere, vel non adjicere, in arbitrio & manu testatoris est. Quales libertatum assignationes, donationes mortis causa, Codicillorum insertio, fidei commissi, legata.

#### VIII.

Legatum est donatio quædam à defuncto relicta, ex ejus benigna voluntate, & propenso affectu profluens, vel ob sanguinis nexum, cognationemve aut propinquitatem, conjunctis; vel ob meritum, aut singularem favorem, extraneis, ab herede præstanda. Cui liberalitatis sive Consilio sive impetui valdè frenos laxabat jus antiquum XII. Tabularum



bulatum, his verbis solemnibus. Uti quisque legasset suæ rei, ita jus esto. Quæ annotavit Pomponius in l. 120. de Verb. Sign. & Tribonianus pr. Inst. de Leg. Falcid. ita ut liceret testator vel totum patrimonium legatis erogare, atque exhaurire; quod erat contra naturam donationis hujus, quæ tantum est deliberatio aut deminutio, non hereditatis totius absumptio.

IX.

Verum enim vero visum est prudentibus modum ejusmodi munificentie imponere, & legandi nimiam licentiam coarctare; super quo primum Lex Furia Testamentaria, à Cajo Furio Tribuno plebis (per quam non licebat plus cuius legatariorum quam mille aureos relinquere) mox à L. Voconio Saxa itidem Trib. plebis, (unde Gellius lib. 2. N. A. c. 1. Voconium plebiscitum appellat) Lex Voconia lata est, quæ cavebatur, ne plus legatarius quam heres haberet; Vid. de utraq; Cic: pro Balbo, & passim in Verrinis & in Cat: Maj. Ulp. l. 28. Govean: ad tit. 1. de L. Falc: Cujac: lib. 7. obf. 33. August: lib. 2. de Civit: Dei Pecc. lib. 1. c. 1. de Testam. Conjug.

X.

Sed cum neutra harum sufficiens ad rei consummationem intelligeretur, frausque illis fieret, atque eluderentur nullò negotiò, ut demonstrant post Theophilum Treutlerus vol. 2. disp. 14. th. 1. lit. c. Bachovius ad pr. Inst. ad L. Falcid. ceteris quiescere jussis, aut explosis, suecentuariata, substitutaque est tandem post alia nequequam inventa remedia, Lex Falcidia; quam perperam multi à falcando dictam rentur. Ego à Publio Falcidio Trib. Pl. Imperante Augusto, aut sub ejus Triumviratu, ut mavult Wesemb: in Parat. scitum hoc

promul-

promulgatum didici ex Dionis Cassii l. 48. Euseb. in Chrono:  
Isydori l. 5. Etymolog. c. 15. Can. 6. dist. 2.

XI.

Causam introductæ aut receptæ Falcidiæ si quis quæsi-  
verit? Resp. principaliter per hanc velificatos legum lato-  
res utilitatibus heredum, & providisse; seu Legem here-  
dum gratia latam esse, ut loquitur Paulus in l. 71. ff. ad L.  
Falcid. Per consequentiam vero & secundariò in gratiam  
Testatorum argumento l. penult. C. h. r. verb. & viventibus  
& morientibus providemus; quatenus per nimiam legandi  
licentiam voluntates eorum ultimæ collabefactabantur at-  
que evertebantur, recusantibus plerumque heredibus scri-  
ptis pro nullo aut minimo lucro subire incommoda heredi-  
taria unde in officiosi, & immodicè liberales testatores in-  
testati plerumq; moriebantur, & testamentum ruptum nul-  
las per hoc habebat vires, §. 2. Inst. quibus modis testamen-  
ta infirmantur, & efficiebatur desitutum §. 7. Inst. de hered.  
quæ ab intestato; Cum tamen de functorum intersit habe-  
re successores. l. 6. ff. de Interrog. in Jure faciend. Licet dire-  
cto in gratiam testatoris, & consequenter successorum la-  
tam velis Carpz. p. 3. Jurispr. Const. 13. Def. 12. N. 5. sed operæ  
non est disputare anxie de ratione legis antiq; & longævo  
corroboratæ usu.

XII

Totiens memorati Plebisciti Falcidiani duo nos con-  
stituimus solum capita (cum Paulo l. Ciol. l. 1. b. 11) licet quatuor  
faciat Duarenus lib. 1. dist. annivers. c. 38. primum ad pro-  
positum nostrum non pertinet; quippe quò dispositio vete-  
ris Juris XII. Tab. & totam substantiam erogandi legatis,  
quasi prodiga & prodigiosa licentia unà cum explosione le-  
gis Voconia continebatur. Alterum hujus omninò loci

A. 3;

est, di-

est, disponens de detractiōe faciēda abs hereditatibus. Scilicet, ut verbo complectur rem totā, cavetur hōc scitō, ne plus legare liceat qvam dodrantem totorum bonorum, & adeo substantiæ hereditariæ quarta pars apud heredem remaneat salva intacta, & illibata, vel remedio Retentionis §. 1. *vel Detractionis §. 2. & 3. verb. Detrahatur Inst. ad L. Falcidianam.* Apud heredem inquam unumquemque, etiam et si plures sint nam in singulis institutis ratio legis Falcidiæ est ponenda i. e. quivis gravatus partem partis à se legatæ quartam detrahit, §. 1. *in fin. ad L. Falcid.*

### XIII.

Legatariis proin, vel fideicommissariis licet restituere jubeantur, nequequam accommodatur hoc beneficium, nec ad vindicandum illud adjuvantur. *l. un. & ibi Gloss. ff. quod legat: l. 1. l. 34. l. 94. ad L. Falcid.*

### XIV.

Non æquè infacili est aut aperto definire citra contradictionis periculum, quibus in causis Detractione Falcidiani quadrantis indemnitati suæ quis possit consulere. Hunc quæstionum campum percurramus eadem celeritate quā viatores pluvio cælo itinera conficere solent, studiosè incuriosi de pro ædria & ordine locandarum, & quia numero in mentem venit, stet in acie, & gaudeat primi examinis gloria hæc. An in Donationibus mortis causa omnium bonorum Plebiscitum Falcidianum adminiculari gravatis donatariis possit? Certè ardua & gravis jam dicta celebratissimi nominis & famæ atque pragmatici summi visa est arbitrio, qui tandem amplexatur affirmativam, per textum (ut ille loquitur inevitabilem) *l. 77. §. 1. de legat. 2. qui ancillatur l. 5. l. penult. C. ad L. Falcid. l. 2. in fin. C. de Mort:*

*Mort. caus. Donat. & ira quoque sentiunt Wesenb. Faber ad Cod. lib. 8. Tit. 57. Defin. 8. Roland. Passag. de Mort. caus. dona. n. 26. Mev. ad Jus Lub. p. 1. 297 ubi docet in hoc argumento discrimen Juris Civilis, & Lubecani; Ratio hujus assertionis esse potest; quia in multis legata & donationes mortis causa æquiparantur, imo (ut nimis liberaliter loquitur Tribonianus) hæc ad exemplum istorum redactæ sunt per omnia §. 1. Inst. de donat. l. 15. l. 37. ff. de mortis causa donat. l. ult. Cod. eodem.*

## XV.

Confinis proximæ hæc est quæstiuncula. An Falcidiæ itidem locus sit in donationis inter vivos? Resp. de propria, pura, simplici, non detrahi hanc quartam, in confesso est omnibus & notissimum l. 27. l. penult. §. ult. ff. de donat. mortis caus. Sneiderwin. ad §. ult. n. 17. Inst. de L. Falc. Gloss. in l. 12. C. cod. b. t. Berlich. part. 3. concl. 1. n. 68. Quia lex illa non aliam ob causam introducta, quam ne ultimæ voluntates effectu destituerentur. Contrarium statuendum de donationibus Conjugum inter vivos factis, sed morte eorum confirmatis, quia hæc tales vim habent fideicommissi, admittentis detractionem alleg. l. 12. C. ad L. Falcid. Jacob Schult. in addit. ad Modestin. Pist. part. 1. q. 48. Sane in donationibus conjugum inter vivos reciprocis seu remuneratoriis, hæc disputatio cessat, quia illæ statim valent, nec opus est ut in vim donationis mortis causa sustineantur, & obitu confirmentur Myns. Cent. 2. observ. 33. Gail. lib. 2. obs. 40. n. 8.

## XVI.

Sunt, qui & detractionem Falcidianam extendant ad successiones legitimas, seu ab intestato, quod facit Wesenb. in paratir. ad L. Falcid. n. B. Carpzov. p. 3. Const. 1. Defin. 12. in ipso fine.

XVII.

## XVII.

Cœterum ac veluti quantitas patrimonii per Falcidiam delibandi æstimatur ex tempore mortis, §. 3. *Inst. l. 30. l. 37. ff. ad L. Falcid.* Ita, antequam certus facultatum reliquarum calculus iniri possit, & summa definiti, deducendum est æs alienum; Ratio est in *l. 39. de Verb. Sign.* Funeris impensa; Satius est enim de suo Testatorem funerari, quam alios legata consequi. *l. 14. vers. sed et. ff. de religios. ubi lit. 2.* Gothofredus egregiè explicat quid hoc nomine veniat, aut contineatur. Olim quoque servorum manumissorum præcia deducebantur seu libertates, h. e. Falcidia libertates non minuebat; Ut loquitur *l. 8. §. 9. ff. de inofficioso Testamento.* Nec legata Deorum, sicuti particulam *Non legi 1. §. 5. ff. h. t. inserendam* docet Cujac. *ad §. 3. Inst. h. c. Quem Fornerius 2. select. 25. Robert. Recapt. l. 15. reprehendunt, Quia iniquum videri non debet, si de legatis Deo relictis quarta Detrahatur cum ipsis rebus Deus non indigeat, sed mortalibus ad usum vitæ concedat lubens.* Certè hodie Falcidia in legatis ad pias causas locum non habet *Nov. 131. c. 12.* Licet habeat in legatis Principi relictis *l. 4. C. h. t. Ritterbus. ad §. 3. Inst. De L. Falcid.*

## XVIII.

Verum enim vero repertu sunt in jure nostro casus, & causæ plus quam unæ, propter quas cessat Falcidiæ beneficium, & exclusissima est detractio ejus; Principes ex his & præcipuas representabimus. Indignus eo heres legum integritate, qui inventarium facere neglexit *l. ult. §. 4. C. de Jure delib. cum suspenderetur fraudis.* Qui errore juris solida legata solvit. *l. penult. §. fin. ff. de Jur. & fact. ignorant. l. 2. C. de L. Falc.* Cui testatoris nominata voluntas expressaq; verbis detractioem Falcidiæ invidit, atqve eripuit. *Aut: sed cum testator. C. h. t. Novell. 1. c. 2. in fin. Berlich. part. 3. Concl. 1. N. 44.*

XIX, Ide-

## XIX.

Idem ne statuendum, si tacita prohibitio dici possit ex dispositione defuncti, si ita testatus sit; Das sein Testament in was Weise und Gestalt es am besten bestand haben könne/ gelten/ vollzogen und außgerichtet werden solle. h. e. ut valeat omni meliori modo, quæ loquendi formula enixæ voluntatis abundantissimam creditur habere significationem? Defensitant affirmativam Nicol. Boër. Decis. 44. N. 38. Jacob. Menoch. lib. 3. Conf. 374. Clarus lib. 3. sent. §. Testamentum. q. 62. Nec dubitandum quin ita se res habeat, audet scribere Berlicius P. 3. Concl. v. N. 74. Contra ab hac opinione divortium faciunt & non subsistere tacitam prohibitionem Legis Falcidæ nec eam ex verosimilibus conjecturis ( quas tradit Dominicus Cardinalis Thuscus Tom. 3. Præf. conclus. 73. ) collectam heredi obesse, quominus quartam detrahere queat, solidioribus rationibus & argumentis evincunt post illos veteres Bartol. Perus. Didac. Covarruvia in c. Raynaldus §. 3. N. 6. X. de Testamentis. Andr. Tirac. de LL. Connub. Gloss. 7. N. 100. Fachin. lib. 5. controu. c. 13. Vaud. lib. 29. 17.

## XX.

Atque adeo hæc prima est, DETRACTIONIS, figura, legata immodica accidens, aut imminuens. Sequitur quæ ad privatæ conditionis homines pertinet, Altera, beans lucro sæpe luculento & dapfili eos, qui directò instituti sunt heredes, diciturq; quarta Trebellianica; Equidem hæc, Falcidæ appellatione continetur l. 8. §. 12. ff. In off. Inst. l. 11. C. ad L. Falc. cum ad exemplum ejus introducta & similitudinè; Non tamen per omnia sibi assimilantur, aut sunt exæqvata sine ulla differentia Carpzov. lib. 6. T. 3. R. 25. Excipienda enim heic odiosa, & pœnæ calamitates infingentia. Excipienda quæ de falcidia statuta ordinant, & disponunt, cum positiva ista Jura strictæ sunt interpretationis, & suis terminis conclusa, & laxari nescia aut extendi.

B

XXI. Un-

## XXI.

Unde non absurdum aut incivile, sed operæ precium, separatim paucula tradere de fideicommissariis hereditatibus & Trebellianicæ DETRACTIONE. Obsecuturi mandato Imperatoris nostri quod est §. 3. *Inst. de legat.*

## XXII.

Fideicommissum aliud esse universale, aliud singulare, norunt dupondii; Prius nobis curæ, quod antiquitus valde infirmum, erat, & nullo vinculo Juris, sed tantum pudore eorum qui rogabantur, subsistebat: Sed quia justa & utilis, & popularis videbatur eorum assiduitas, tantus factus fidei commissorum favor, ut proprius creatus fuerit prætor, qui recto Jure instituto necessitatem imponeret hereditatem restituendi §. 7. *Inst. de fideicommissi: heredit.*

## XXIII.

De his hereditatibus fideicommissariis primitus agebat Senatus Consultum Pegasianum, quò explosò postea temporibus teterrimi Nenoris, incomparabili Senecâ & Trebellio consulibus supervenit Trebellianicum, ejus capita multifariam, interque ea etiam hoc, ut si heres fiduciarius ex voluntate testatoris quartam non habeat, liceat ei illam (quæ dicitur quarta Trebellianica) retinere, & detraxere. Nempe permissum hoc heredi primò, non secundo, tertiove, l. 22. §. ult. b. t. quippe fidei commissarius testamenti oraculo obstringi potest ut restituat hereditatem sine detractioe, nisi heres fiduciarius quartam non deduxerit, liberalitatem in fideicommissarium exercere cupiens l. 1. §. 19. ff. ad Senatus Cons. Treb. & ibid. doct. Fachin. §. Cont: 7. Garpz. p. 3. Const. 1. def. 15.

## XXIV II.

## XXIV.

Illud dogma pridem in controversiam fuit; An filius, aut alius, cui legitima debetur, fideicommissio gravatus duplicem quartam detrahere possit? Certè nimis impensè favent liberis qui duarum quartarum comoda illis adjudicant, quippe Senatus Consultum Trebellianum ad exemplum Plebisciti Falcidiani licentiam concessit testatoribus disponendi de dodrante bonorum pro arbitrio, quæ irrita foret & elumbis ordinatio aut indulgentia, si præcipere quisquam aut detrahere scriptus sex uncias auderet; Et ita sentiunt mecum, aut rectius, sentio ego cum *Ant. Fabr: ad. lib. 8. C. tit. 37. definit: 6. Heig: p. 1. q. 32. Angelo Marbeacio de Leg. & Fideicommiss: l. 4. c. uli.*

## XXV.

Cum ergo detrahare quartam fiduciarius possit, dubio laud caret, an ex rebus restituendis (quarum tamen certa portio illi debetur) quædam alienare queat? *Marcellus l. 3. §. 3. ff. ad Senatus Consult: Treb: his decidit controversiam verbis. Res quæ ab herede alienatæ sunt in quartam (Trebellianicam) imputantur heredi. Nemo quidem tam effrons, aut temerarius, aut impudens sub sole invenitur, qui dicam erroris scribere isti Jcto sustineat; Sed tamen talium catholicarum & generalium legum durities exceptionum molli mentis sepiculè curatur, corrigiturque. Quid enim, si res fideicommissio subjectæ quæ servando servari non possunt? Quid si facienda in funerationem defuncti impendia? Quid si æs expungendum testatoris, (quod solvendum, etiamsi alienatio expressè dispositione ultimâ sit prohibita, ut docet *Dominus Mevius ad Jus Lub. p. 2. t. 1. arc. 7. N. 6.*) pauperculis relictum, fame perituris, ni instituat destractio? quales casus & plures egregiè examinat *Marcus Anton: Peregrinus de fideicommiss: ari: 40. Gail: l. 2. Obs: 137. Carpz: p. 3. C. 8. def. 31. & seq:**



## XXVI.

De Senatus consulto Trebellianico pluribus agere haud putamus precium, quando quidem magnam inter se similitudinem habet hoc & Falcidianum Plebiscitum de quo prædiximus. Consequens jam est ut paucis agamus quasi ex Thesi, factæ sponsonis lege de DETRACTIONE competente personis auctoritate publicâ instructis.

## XXVII.

Hanc alii Gebellam; Alii Falcidiam statutariam; Alii decimationem appellant, germanicè tradunt *Abzug/ Nachsteuer/ Abschoss/ Abfahrt*. *Vid. Rauchb. p. 1. q. 15. n. 1. Coll. Basilienf. Vol. 3. disp. de veltigal. lb. 63. Mev. p. 2. ad jus Lub. tit. 2. art. 4.*

## XXVIII.

Definiri potest, quod sit portio, quæ de bonis alio transportandis à Magistratu aut ab eo cui jus illud competit, detrahitur.

## XXIX.

Antequam progrediamur ulterius, prius dispiciamus de origine, seu quo jure DETRACTIO nitatur? Natales ejus ut sic dicam primos credidemus ex historia veteri arcessendos, si non robustam probationem, certè hodiernæ DETRACTIONIS simulacra non obscure repræsentante.

## XXX.

Nempe Octavius Augustus Secundus Monarchiæ Romanorum Imperator constituit, ne quis hereditate aut legatis potiretur, nisi eorum viceesimam Fisco partem solvisset. Postea Nervæ, Trajani, & insequentium bonitate, & clementiâ, aut quod non æque indigerent subsidiis talibus primùm accisa & imminuta, *Dio Cass. lib. 51. Bodin. l. 6. de Republ. c. 8.* Tandem Justinianus nominatim hoc deductionis jus vel privilegium exposuit & abrogavit, *l. ult. C. de Edicto Divi Hadri. toll.* Hodie tamen quasi ab orco revocatum multis in locis illud  
exerce-

exerceri certum est, ut Augustæ Vindellicorum, Noribergæ, Spiræ, Hamburgi, Lubecæ, imò in omnibus fere Germaniæ civitatibus *Joban Deurb. de Testament.* Nec dubito in Frisiâ dulcissimâ Patriâ meâ adminiculo hoc conservandi statum Reipublicæ Magistratum gaudere & frui.

XXXI.

Dixi hodie frequentari multis Rebus publicis Jus decimandi; Sed An Rectè? Sic arbitror, quippe ut parsit Respublica ferendis oneribus & sumptibus erogandis, tam ad necessitates quam dignationem & gloriam perpetuandam licitis modicisq; tributis fiscus omninò debet stabiliri, & augeri, & identidem redintegrari. Quæ deductionis æquitas & jus portionem de emigrantium bonis retinendi ex constitutionibus Imperii etiam non obscure probatur, *Reichs Abschied Anno 1555.* Talia statuta laudabilia appellat *Gailus l. 2. obs. 36. N. 10.* & introduci posse concludit *Ernestus Corbmann. Conf. Acad. 19.*

XXXII.

Verù enim vero non promiscuè cuivis Magistratui Gabellas exigere est permittum, sed illi tantum, qui habet superiorem seu criminalem jurisdictionem, sive merum & mixtum imperium; Imò & Nobiles in Feudis suis jus illud usurpasse compertisse *Mew. scribit p. 2. r. 2. art. 4 n. 15.* aude addere, quandoq; in vilibus & exiguis oppidis talia statuta fieri, & plerumque à superiore Magistratu confirmari, *Rauchb. p. 1. q. 15. n. 6.* Sed & Collegia privilegiata, licita & honesta grati exempli Academiæ detractionis sibi jure vindicare potestatem & usum docet *Thomas Lindemann. egregia Dissutat. de Orig. Juris. Thes. 41.*

XXXIII.

Quid si mutaturus coloniam, & relicta urbem controversiam faciat, & neget se ad pendendum hoc vedigal teneri? Resp. Quotiens Magistratus alicujus loci exercere:

B. 3.

vult:

vult decimationem totiens eum debere probare consuetudine, aut lege civili (quarum utraq; juri gentium detrahere aliquid aut addere potest, in totum tollere illud aut plane abrogare non potest l. 6. ff. de Just. & Jur.) sibi id privilegium competere. *Carpzov. P. 3. Cost. S. 8. def. 19.*

XXXIV.

Videndum porro quoniam ad hoc onus ferendum obstringantur? *Movius parte 3. decis. 160.* distinctione ita rem conciliat, solvere detractionem oportere tum cives ex sua jurisdictione discessuros, tum peregrinos hereditatem incolarum cernentes; Sed quid dicendum de illis qui jus, civitatis non petierunt, nec adepti sunt, *die das Bürgerrecht nicht gewonnen haben* tantum aliquam diu in urbe habitaturi? Et iterum distinguit, nempe aliqui in civitate morantur ut *Advenz*, & plane peregrini, animo post peracta negotia indidem iterum discedendi; & illi non subjacent detractioni, nisi de eo, quod ex hereditatibus civium acquisiverunt; Qui vero animum habent contrahendi domicilium in urbe hi tributum pendere coguntur prædicto modo nisi expresse fuerint à jurisdictione urbanâ exempti quod fit vel propter privilegium singulare, vel propter officii quod sustinent personarumque conditionem.

XXXV.

Ita immunes sunt à Decimatione Professores, & alia membra *Acbpemiaram*; Pastores, & ministri ecclesiarum, aliiq; de quibus videatur omnino *Berl. p. 3. Concl. 52. n. 30. seq. & Lindemann. loco alleg. ubi queritur.* Hæc heu sæpe non attendi.

XXXVI.

Diximus cives alio migrantes decimationi obnoxios esse, quod verum utique est de iis qui bonâ voluntate vertunt solum, & mutant coloniam, non si invitum id faciant, aut pellantur urbe, ut ita necesse habeant quarere terras alio sub sole calentes, quippe hi tales nec ad *Laudemia* præstanda tenentur, quorum ad instar **JUS DETRACTIONIS** se habere putat *Johann: Koppen decis. 5. Berlich. p. 3. Concl. 52. Nov. 14.*

Exemplo

Exemplò res clarior erit. Si Magistratus Catholicus orthodoxos vel Lutheranae confessionis Sectatores ex suis ditionibus ejiciet, & eos sua bona vendere & alio transferre cogat, hoc tributum migrationis à subditis postulare non potest, nisi subditi propter prædictam causam sponte emigrent, tum enim illas Gabellas solvere tenentur, *Berl: loco citat. Nov. 16.*

XXXII.

Certe necessitate coactus detractionis incommodum non subit, nisi forte illa necessitas arcessita culpâ aut factò migrantis, pone, criminis reum posse (si talis daretur casus) à suâ civitate aliò transferre, bona, tenebitur sanè magistratui pendere tributum.

XXXVIII.

Idem obtinet, si ad incitas redactus debitor jussu Magistratus bona vendere, atqve alienare necesse habeat, tunc non potest esse immunis ab hac Falcidia statutaria, quia suæ imputare debet malæ administrationi quod ad eam detrusus sit sortem. *Berl. p. 3. concl. 52. N. 17.*

XXXIX.

Hoc quære lubet, anne & liberi de hereditatibus parentum, si eas alios ad locos transferre velint, vectigal hoc solvere debeant? Resp. Ab onere hocce deductionis, de bonis aliò transferendis nec liberos immunes esse asserit *Carpzovius p. 2. C. 38. def. 19.* quamvis contrarium statuat *Berli-ebius p. 3. Concl. 52.* Sed inspectanda est loci cujusq; consuetudo. vid. de hac quæst. *Mev. p. 2. Tit. 2. art. 4. infin. Rautbb. p. 1. q. 15. N. 8.*

XL.

Subjacent detractioni dem Abschusse omnia quæ exportantur bona. Exportari autem intelliguntur quæ ejus loci censentur, ubi defunctus habitavit, etsi in eo loco revera non existant qualia sunt nomina, vid. *Colerus de process. execut. p. 2. c. 3.* non tamen de iis de quibus ante discessum onera præstita jam sunt, exigi hæc decima potest, sicut ipsum nomen, *Nachschoss / Nachsteuer* ostendit,

XLI.

XLI.

Et vero neque illud negligendum quantitatem detractionis non esse ubique eandem, sed variare. Quippe quandoque ex consuetudine loci & statuto vicesima; quandoque octava, alibi quarta alibi tertia, breviter quandoque minor, quandoque major prædictâ ista portione exigitur. *Mev. p. 2. ad Jus Lubec. cit. 2. art. 4. N. 11.* Sicut etiam de decima (quamvis hæc propriè huc non pertineat) pendenda Ministris Ecclesiæ scribit *Carpzov. Jurispr. Conf. l. 1. t. 8. def. 125. in fine.*

XLII.

Finis hujus detractionis, ut dicere cœpimus, est, ut per hoc tributum Republicæ subveniatur, unde nonnulli vœtigal in redhossimentum defensionis emigrantibus quondam præstitæ appellant, nisi enim commoda Fiscus aut A. rarium justa perciperet, & lucraretur ferendis oneribus pat esse non posset, sed cum ignominia exequiæ ei erunt eundæ.

XLIII.

Ergone emigrantibus nihil plane in compensationem tributi hujus expectandum utilitatis? Resp. Quemadmodum æquum est, ut relicturi civitatem solvant id, quod ante discessum solvere tenentur, ita ex adverso iniquissimum esse videtur, quod magistratus abiturientibus honestum vitæ (si tales se gesserint) testimonium impartiri recusat, quod à correspondentibus statibus in comitiis aliquoties inter alia Imperii gravamina Cæsareæ Majestati oblata in querimoniam justè deductum esse legimus in *Colleg. Basel. vol. 5. Disp. de Pace relig. th. 34.*

XLIV.

Solvendum vero hoc tributum antequam bona exportentur, *Berl. p. 3. Concl. 72. N. 86.* quam exigendi curam si magistratus non suscipiat, & eâ defungatur, per quinquennii præscriptionem jus conducibile illud DETRACTIONIS expirat & quasi emoritur. *Mev. p. e. deces. 163.*





Vando ita vis, fiat: Cathedram conscende, the-  
sesq;

Sic satis eximiè tute tuere tuas.

Quùm tibi publicitùs placeat documenta laboris  
Jam dare prima tibi, fortiter ista dabis;  
Ostendesq; VIRUM. Me spes fovet ampla profectò  
Nil tibi cum TACITO, nil fore (dicò) rei.  
LAUREMBERGIADES, qui te formavit, abundè,  
Ut pulchrè stares, ac loquerere, dedit.  
Huic, vel sponte tuâ debere fatebere longè,  
Quàm possis unquam solvere, plura VIRO.  
Sed quid materies sibi vult; *Detractio juris:*  
De quâ pro Cathedrâ differuisse juvat?  
Tu satis, HERSENI, mysteria noveris ista;  
Me non ἀμώγειον sollicitabit opus.  
Est ita, credo, tamen: *Detractio jure valebit;*  
Aut *in jure locum fors habitura suum.*  
Sed *qui iustitia vel juri detrahat ipsi,*  
*Jure sit is nequam seu mihi, sive tibi.*

*Amicissimo suo L. M. Q.  
scrib.*

HINRICUS Dringenberg/  
Profess, Publ.

*Omne*

**O**Mne tulit punctum summos qui querit honores,  
Doctrinâ partes, hi sine fine beant.  
Quid solidi sapiat, pectus tectoria lingua,  
Qui noscit, causas explicat implicitas.  
Tu quoque, Amice, tenes quæ cerpant irrita venti:  
Quæ constant firmâ cum ratione sibi.  
Unde tenes causas varias dissolvere prudens,  
Sublimi cælum vertice laus tua adit!

Hæc Clarissimo Dn. Respondenti, Amico  
examulim certissimo, in negotioso iti-  
nere scripta, mittebat

Georgius Heilgendorffer.



**V**Era venit studiis gnaro sudore perennis  
Laus, vetat hos homines maxima Musa mori.  
Laus tua duratura perennat, amice, per orbem:  
Ex sudore tuo nam tibi talis honor!

Ita Clarissimo Dn. Respondenti, Amico  
æstimatissimo scribebat

Christianus Hildebrand.



2





*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*


*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*





exerceri certum est, ut Augusta Vindelicorum  
Spiræ, Hamburgi, Lubecæ, imò in omnibus  
civitatibus *Johan Deuth. de Testament.* Nec  
dulcissimâ Patriâ meâ adminiculo hoc cons  
Reipublicæ Magistratum gaudere & frui.

XXXI.

Dixi hodie frequentari multis Rebus  
cimandi; Sed An Rectè? Sic arbitror, quip  
publica ferendis oneribus & sumptibus er  
necessitates quam dignationem & gloriam  
licitis modicisq; tributis fiscus omninò debe  
geri, & identidem redintegrari. Quæ ded  
& jus portionem de emigrantium bonis reti  
tutionibus Imperiis etiam non obscure pro  
*Abchied Anno 1555.* Talia statuta laudabili  
*l. 2. obs. 36. N. 10.* & introduci posse conclud  
*mann. Conf. Acad. 19.*

XXXII.

Verū enim vero non promiscuè cuivis Mag  
exigere est permillum, sed illi tantum, qui h  
seu criminalem jurisdictionem, sive merum  
periam; Imo & Nobiles in Feudis suis ju  
comperuisse *Mov. scribit p. 2. r. 2. art. 4.*  
re, quandoq; in vilibus & exiguis oppidis  
& plerumque à superiore Magistratu. conf  
*1. q. 15. n. 6.* Sed & Collegia privilegiata,  
grat; exempl: Academias detractionis sibi ju  
restatem & usum docet *Thomas Lindemann.*  
*de Orig. Juris. Thes. 41*

XXXIII.

Quid si mutaturus coloniam, & reli  
troversiam faciat, & neget se adpendend  
neri? Resp. Quotiens Magistratus alicuj

B 3.

